Q. S. A. B. V.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICO-PRACTICA

De

SALIVATIONE MERCURIALI,

ALIIS PRÆTER LUEM VENEREAM MORBIS REBELLIBUS EXSTIRPANDIS PARI,

Quam

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DN. PHILIPPO WILHELMO,

PRINCIPE BORUSSIÆ, MARCHIONE BRANDENBURGICO DUCATUS MAGDEBURG. GUBERNAT. ET RELIQUA,

IN ILLUSTRI FRIDERICIANA

GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU ET AUTORITATE

SUB PRÆSIDIO

Viri Excellentiſſimi atque Experientiſſimi

DN. GEORGII ERNESTI STAHL,

MED. D. EJUSD. ET RER. NATUR. PROF. PUBL. ORDINAR. ACAD. NAT. CUR. COLL. FAC. MED. h. t. DECANI GRAVISSIMI

Dn. Patroni, ac Promotoris ſui, omni honoris, ac obſervantiæ cultu ætatem devenerandi.

PRO DOCTORIS GRADU,

Summisque in Medicinâ Honoribus, Inſignibus ac Privilegiis rite & legitime conſequendis,

In Auditorio Majori, die Febr. MDCCX. horis ante & pom.

Publicæ Eruditorum ventilationi exponit

JOHANNES DANIEL Iſaac/

Gorlicenſ. Hexapol.

SUMMO AR-
CHIATRO,
ET PATRIÆ,
VIRIS
NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS, CONSULTISSI-
MIS AC PRUDENTISSIMIS,
DOMINIS
CONSULIBUS,
PRÆTORI,
SYNDICO,
SCABINIS,
SENATORIBUS,
INCLYTÆ REIPUBLICÆ GORLICENSIS SPE-
CTATISSIMIS AC GRAVISSIMIS,

*Dn. Patronis ac Evergetis ſuis omni Ho-
noris, Amoris ac Obſervantiæ Cultu ætatem devenerandis*

Diſputationem hanc Inauguralem

Gratitudinis τεκμήριον
offert & conſecrat
AUTOR RESPONDENS.

PROOEMIUM.

SOlet hoc commune fatum eſſe remediorum paulò activiorum & manifeſtius operantium, ſive, ut vulgo loquuntur, generoſiorum; ut, cum ad nocendum æque ac juvandum apta ſint, ab aliis in cœlum efferantur laudibus, ab aliis contra ex artis ſalutaris finibus plane proſcribantur. Notæ ſunt invectivæ, quibus Helmontius Venæ Sectiones, Purgationes, Fonticulos perſtrinxit. Notæ ſunt Bontekoeanæ & aſſeclarum caſtigationes, quibus non modò ſupra dictas evacuationes, ſed inſuper quoque acidorum & refrigerantium uſum in cura febrium, exulare jubent, & contra, Salia Volatilia Urinoſa & Opiata, plenis buccis deprædicant. Notæ ſunt nuperrimæ quoque Gehemæ & Geuderi de hôc negotiô litigationes. Quid ergo mirum, Salivationem quoque non mitiùs fuiſſe habitam? Quippe quæ non ſolum laborioſa admodùm & valde moleſta exiſtit; ſed etiam, niſi congruo regimine prudenter gubernetur & ſublevetur, ſæpe ne periculô quidem caret. Ita ut Helmontius rotunde aſſerat, Mercurium, quamdiu reviviſcere poſſet & Salivationem excitare ſoleret, non eſſe boni viri remedium. Utut verò iniquiori huic cenſuræ aliorũ graviſſimorum Scripto-

rum autoritas opponi poſſet, qui mercurium, & per eum concitatum ptyaliſmum divinum remedium, & verum morborum rebellium rhizotomum ſalutant; premit tamen hoc remedii genus aliud adhuc opprobrium, & veluti quædam infamiæ nota, ipſi etiam ab ejus amicis & fautoribus affricta, dum illud non niſi lui venereæ deberi contendunt. Inde enim fluxit communis illa perſvaſio, quâ eum, qui Salivatione uſus eſt, protinus morbô venereô coinquinatum ſuſpicantur: aut ſi *Medicus*, imo ipſa rei veritas huic aſſertioni reclamet, in *Medicum* deinceps convertitur plebis maledicentia, ipſum contra conſcientiam egiſſe clamitans, quod morbum malignitatis expertem, virulento, ut ajunt, remedio oppugnaverit. Nihilo tamen ſecius non rarò occurrunt caſus ejusmodi, ubi omnibus aliis remediis in caſſum adhibitis, nullum aliud ſubſidium, niſi extremum hoc remedii genus ſupereſt. Ne igitur miſeri ægroti, ob infamiam iſtam, quâ optimum hoc & inſons remedium vulgo traducitur, uſu ipſius ſalutari defraudentur: digna mihi viſa fuit hæc controverſia, ut, AN SALIVATIO MERCURIALIS IN ALIIS PRÆTER LUEM VENEREAM AFFECTIBUS LOCUM, QUIN USUM HABERE POSSIT, Speciminis Inauguralis loco disquirerem. Faxit omnis veritatis Fons & Autor, Numen Supremum, clementiſſimè, ut & hoc in tentamine veritatem aſſequar, & aliquod inde in afflictos ſolatium aut emolumentum redundet!

§. I.

SAlivationis uſum in aliis præter luem veneream affectibus contumacibus dum inveſtigare ſatago, merito hic in tantum ſepono fluxum illum Salivæ ſpontaneum, ſive ſputatio-

tionem crebriorem & copioſiorem, ſubjectis hypochondriacis & pueris verminoſa colluvie laborantibus familiarem, aut etiam febribus acutis, imprimis verò variolis confluentibus adultorum, motu veluti critico ſupervenientem, atque notante *Sydenhamiô de morbis acutis p.* 169. ptyaliſmo mercuriali vix parciorem, & non niſi minori graveolentia differentem. Licèt enim hæc Salivatio Critica, monente eodem *Sydenhamio l. c. p.* 189. *&* 209. It. *Waldſchm. Caſu* 79. *p.* 240. nec non *Bagliv. Prax. Med. Lib.* 1. *p.* 64. ad felicem morbi curationem non parum contribuat, imò ægrum, ſi modò rite procedat, extra periculum collocet: attamen, cum evacuatio hæc ſolius naturæ opus ſit, neque Medicus illam pro lubitu ciere, atque eâdem tanquam remediô curatorio uti queat; de alterâ illa potius, quæ in artis poteſtate poſita obſervatur, erimus ſolliciti.

§. II.

Eſt autem hôc ſenſu accepta Salivatio, evacuatio artificialis, qua humores ſeroſo-lymphatici, atque in iis hoſpitantes heterogeneitates viſcido-acres, per medicamenta præſertim mercurialia, ſive per os exhibita, ſive alia ratione corpori inſinuata, funduntur, reſolvuntur, ad glandulas ſalivales oris ac faucium propelluntur, imo per ductus earundem excretorios, in notabili copia educuntur.

§. III.

Subjectum igitur hujus evacuationis eſt, latex ſeroſo-lymphaticus, contentaque inibi recrementa viſcido-acria, quæ hinc inde in corpore dolores, lancinationes, tumores, nodos, tophos, quin actuales ulcerationes ac arroſiones, ſolent progignere. Organa excretoria ſunt partim glandulæ ſalivales majores, partim minores, internam membranam buccarum & faucium densô agmine ſtipantes.

§. IV.

Inſtrumentum verò hujus evacuationis ſalivatoriæ efficaciſſimum, imò jure dixerim unicum, eſt Mercurius; ſive currens & vivus, ſive vario præparationis ſchemate larvatus. Quod enim de Vitriolo albo *Wedelius*, de Vitriolo Veneris

Helvetius junior, alii de Ceruſsâ Antimonii promittunt, quæque *Heinſius* de Lapide calaminari, & per hunc concitata Salivatione *Tract. de Lue Vener. Cap.* 2. *p.* 38. commemorat, vel elencho cauſæ, vel æquivoca voculæ Salivationis acceptione, laborare videntur. Solus potius Mercurius huic ſcopo & effectui certiſſime ſatisfacere obſervatur, imo ſæpe etiam alia intentione adhibitus, ptyaliſmum nihil tale expectantibus movet. Sic *Hildanus Centur. V. Obſ.* 95. narrat: Mercurium præcipitatum ulceri ſaltem inſperſum, copioſiſſimam proritaſſe ſalivationem, quin etiam ex ſolâ converſatione cum viro ſalivatoria cura defungente, uxorem pariter ſalivationem largiſſimam incurriſſe, eadem *Centur. Obſ.* 98. commemorat. Neque adeo abſimilem caſum, imo admiratione fere magis dignum in Noſocomio Lipſienſi contigiſſe memini, ubi conclavis Salivationi alias deſtinati accolæ, utut pariete ſatis firmo ſejuncti, ab effluviis tamen, ex vicino hoc conclavi emanantibus, itidem haud obſcura ptyaliſmi ſenſerunt veſtigia.

§. V.

Varii igitur proſtant modi Mercurium corpori applicandi, & hujus ope Salivationem excitandi; non tamen æqualis ſecuritatis aut paris efficaciæ laude conſpicui. Antiquisſima, & in ſuo genere ſatis efficax, methodus, eſt inunctio: quo nomine celebre eſt Unguentum ita dictum Neapolitanum, ubi Mercurius currens, cum Saliva humana aut terebinthina Veneta diſcontinuatus, ſive ut vulgo loqui ſolent, extinctus, adipi porcino immiſcetur, atque in linimenti formam redigitur: quo deinde juncturæ artuum, aut juxta nonnullos etiam ſpina dorſi & inguina, prope focum calentem inunguntur, donec Salivationis inſtantis prodromi, halitus fœtens, tumor faucium, gingivarum laxitas, dentium vacillatio, ſubſequantur. Approbat hanc calculo ſuo inter recentiores etiam *Sydenhamius*, uti videre licet in *Epiſt. Reſponſ. II. p.* 426, *Edit. Lipſ.* It. *in Proceſſ. Integr. Morb. curand. p.* 773. Habet tamen hæc Salivationem per externam inunctionem ciendi methodus iſtud incommodum, quod diffici-

lius intra debitos limites coërceri poſſit, atque interdum nimis impetuoſa & juſto copioſior, interdum nimis parca & ſegnis, cooriatur Salivatio. Unde ipſe quoque *Sydenhamius* auctor eſt, ut ptyaliſmus, ſi forte ab inunctione tardius procedat, aut iterum elangveſcat, interno, Turbith mineralis, vel Mercurii dulcis uſu exſtimuletur.

§. VI.

Atque hoc, quod modo circa inunctionis methodum notavimus, multo magis de reliquis Mercurium extrinſecus applicandi modis obtinet, ſcil. illos fere omnes, incerti atque ut plurimum languidioris eſſe effectus: adeo ut, licet proſtent exempla ex uſu & geſtatione cinguli mercurialis copioſam non raro coortam eſſe Salivationem, nemo tamen, quantum conſtat, hoc ſolo ad Salivationem deſtinato conſilio movendam, uti auſus fuerit. Emplaſtra Mercurialia, accommodatiora videntur curæ particulari hujus vel illius membri, nimirum tophis ac nodis diſcutiendis, ulceribusve ſordidis ſanandis, quam curæ univerſali & intentioni directè Salivatoriæ: id quod etiam de aquis mercurialibus monendum: quippe quæ in excreſcentiis quidem verrucoſis tollendis, & ulceribus putridis abſtergendis ac mundificandis, opem præſtant laudabilem imò tempore Salivationis aliunde concitatæ, adhibitæ, ptyaliſmum quodammodo intendunt: at vero, ſcopo Salivatorio iis ſolis uti, coeptum foret irritum, neque etiam periculo graviori immune. Siquidem tales aquæ ſeu ſolutiones mercuriales, ſine corroſivitate, qua Mercurius ſolutus tenetur, parari nequeunt.

§. VII.

Efficax ſatis, ſed majori adhuc periculo ſtipatus eſt, modus per ſuffimigia ex Cinnabari prunis candentibus inſperſa: licet etiam inter recentiores non deſint, qui illo uti non dubitent. Vid. *Muſitan. Trutin. Medico-Chirurg. Luis venereæ, Lib. III. c. 9. p. 282. ſeqq.* it. *W. Salmons Practice of Phyſik. L. III. c. 23. §. 122. p. 700.* Attamen cum Mercurius ſub hac forma halituoſa corpus pervadens, nimis profunde & nimium

ſub-

ſubtiliter partes penetret, imo ſubinde horrenda Symptomata inducere ſoleat; ex veteribus jamjam *Fallopius* ejus uſum diſſuadet, & *Paræus*, particularem ſaltem, hujus vel illius membri ſpecialisſimè affecti, ſuffumigationem admittit: Hæc tamen ſuffimigia particularia, monente *Sennerto in Prax. Lib. VI. P. IV. c. 21. p.* 207. non tam ſalivationi movendæ, quam ſaltem nonnullis ſymptomatibus, certam partem obſidentibus, tollendis, inſerviunt: niſi quis ad ductum *Sylvii in Meth. Med. L. II. c.* 13. §. 31-34. *p.* 113. fumum mercurialem, non parti affectæ, ſed ori immediatè, per tubum, infundibuli in modum efformatum, admovere velit.

§. VIII.

Plurimis itaque inter modernos, arridet uſus internus Mercurii, qui tamen ipſe quoque diverſis modis larvari & adhiberi poteſt. Sunt, quibus tutisſimum videtur, eundem ſine omni ſalium peregrinorum conſortio, in forma ſua nativa currente uſurpare. Hinc notæ ſunt pilulæ ita dictæ Barbaroſſæ ex Mercurio vivo cum terebinth. Cypria extincto & ſubacto. Et commendatur hæc methodus aliisque præfertur à *Petermann. in Obſ. Pract. Dec. III. Obſ.* 7. *p.* 37. Sunt tamen alii, qui de ſegniori, Mercurii hâc ratione exhibiti, effectu conqueruntur: id quod pariter de Cinnabari, tam nativa quam artificiali, pro hôc ſcopô datâ, aſſerendum eſt. Quod verò præparata ex Mercurio attinet, quæ per aquam chryſulcam, Spiritum Nitri, Oleum Sulphuris & Vitrioli, ſimiliaque acida corroſiva, parari ſolent, atque ſub titulis Mercurii præcipitati rubri, Arcani corallini, Herculis Bovii ſ. Auri vitæ, Turbith mineralis, &c. pasſim proſtant; his quidem nimiæ ſegnitiei dica ſcribi nequit, ſed in alterum potius extremum iſta propendent, nimis, quam expedit, non raro activa. Quam violentam operandi rationem dum in mentem ſibi revocat *Cl. Helwig. in Eph. Nat. Cur. Dec. III. An.* 7. *&* 8. *obſ.* 7. in hæc tandem erumpit verba: A Turpetho minerali, quod antea pro Salivatione cienda exhibere fui ſolitus, impoſterum ſtat ſententia prorſus abſtinere,

nere, qui, quanta tormina & anxietates excitarit, præſens animo attonito ſpectavi.

§. IX.

Media igitur via incedunt illi, qui Mercurio dulci utuntur, ejusque effectum præſentem ſatis, blandum tamen, & ſi modo recte adminiſtretur, tutisſimum, aliis præferunt. Duo tamen hic ſollicite attendenda ſunt. Primum eſt, ut legitimè præparatus, & reverà dulcificatus adhibeatur; quod non tam obtinetur, per iteratas & ſexies repetitas ſublimationes, quam per dextram ſufficientis & ferè æqualis quantitatis Mercurii currentis, cum Mercurio ſublimato bonæ notæ, conjunctionem, & vel unica ſublimatione peractam, unionem intimam. Conf. *Dan. Ludovic. Pharmac. modern. ſecul. applic. Diſſ. I. p.* 176. it. *Celeber. Wedel. Diſſ. de Mercur. dulc. Cap. II. p.* 17. 19. Altera cautela doſin reſpicit, quam intra mediocritatis cancellos ſubſiſtere conſultisſimum erit. Hinc non injuſta eſt animadverſio ſupra laudati *Dn. D. Helwichii*, quâ perſtringit le Mort aſſerentem, Mercurium Salivationem demum movere in nimia quantitate aſſumtum aut diutius continuatum; contrarium evincens binis exemplis, ubi toti curæ vix ſcrup. V. imo in alio ſubjecto non ultra gr. LXXII. impendere oportuit, nihilominus tamen ſatis copioſa ſubſecuta fuit ſalivatio, per quatuordecim dies perſeverans. Multo minus illi aſſenſum merentur, qui largam Mercurii dulcis quantitatem doſibus inſuper ſimultaneis offerunt. v. g. *Jackſon* in ſuo *Enchirid. Pract. p.* 185. Mercur. dulc. ad integrum ſcrupulum imo drachmam dimidiam, & quidem bis de die, ſumendum præcipiens. Præſtat potius à minoribus doſibus ad majora ſenſim præbia aſſurgere, quam repentina humorum peccantium commotione, ægrum obruere, quin in præſentiſſimum ſuffocationis periculum conjicere.

§. X.

Sunt denique, quibus uſum Mercurii *internum*, cum *externo* conjungere, è re videtur, v. g. *Muralto*, & qui hujus veſtigia legit, *Lentilio*, qui non ſolum interne Mercur. dulcem

cum conſerv. roſar. exhibent, ſed etiam ſpinam dorſi ungvento Mercuriali illinere, imo præterea emplaſtrum de ran. cum Mercur. cervici applicare, & intra nychthemeron renovare jubent. Vid. *Lentil. Miſcell. Medico-Pract. P.* 1. *p.* 501. 569. 574. 605. Verum enim verò, meminiſſe hic fortè decet, non temerè ſectandas eſſe ambages, ubi breviori via ad ſcopum præfixum pertingere datum eſt: cum plerumque alterutra methodus etiam ſola, modo dextrè adhibeatur, ſufficiat. Quid, quod hoc, diverſa ſibi invicem remedia ſuccenturiandi tentamen, non ſemper effectu deſiderato potiatur? Siquidem refert *Dn. Joh. Acoluthus Phyſ. Uratislav. in Eph. Nat. Cur. Dec.* 1. *An.* 9. *obſ.* 195. ſe aliquando ad ſalivationem, ab uſu Mercurii dulcis interno ſegnius procedentem, exſtimulandam, linimentum mercuriale in ſubſidium advocaſſe, hoc tamen vix ſenſibile Salivationis incrementum, ſed potiùs fluorem uterinum induxiſſe: Nec meliorem ſucceſſum, ab uſu maſticatorii, ex Mercurio dulci & maſtiche parati ſe perſenſiſſe: adeò ut & hic appareat, Naturam poſſe duci, non cogi. Unde prudentiſſima ad minimum æſtimatione circumſtantiarum hîc opus erit, neque temerè, nedum ita facilè, talis methodus eligenda, ſed reſervanda potius caſibus peculiaribus. Abſtinendo inſuper à ſpinâ dorſi & nuchâ: ſed potiùs carpos manuum, & tarſum pedis, & moderate inſuper inungendo. Debita verò præparatio Corporis, quæ præcipuas difficultates removet, & ſalivationis quoque non ita præceps, ſed ſucceſſiva commotio, efficient, ut hujus modi inventionibus ſuperſedere ſit integrum.

§. XI.

Modus autem & ratio formalis, quo nimirum pacto Medicamenta mercurialia effectum hunc præſtent, humoresque ſeroſo-lymphaticos, non per alias vias ſed præcisè per glandulas ſalivales, atque adeò contrà innatam gravitatem, per ſuperiora, propellant & educant, ſimilibus aut exemplis quidem illuſtrari, exacte vero deſcribi aut determinari vix poterit. Ita namque cantharides alias partes, utut æque teneras, quas immediatè attingunt, non lædunt, ſed ſolas vias urinarias, ad ipſam

usque

usque ſangvinis profuſionem ſtimulant. Purgantia etiam ſangvini immediate affuſa ad nullas tamen alias partes, quam inteſtina faciunt impetum. Semen nigellæ lactis ad mammas adpulſum & proventum copioſiorem, ſine aliorum humorum commotione promovet. Gramen oſſifragum Norwegicum non alias niſi oſſeas partes lædit: contra vero oſteocolla easdem firmat & roborat, ita ut Hildano teſte, paulò liberaliùs data, etiam damnum hoc nomine dediſſe obſervata fuerit. Plus autem humorum alteratione, ut tali evacuationi magis incumbant, quàm alii, certius videtur hîc imputandum, quam viarum alicui peculiari ſtimulo, ad hunc exitum affectandum.

§. XII.

Primus curæ Salivatoriæ inventor *Jacobus Carpus* fuiſſe perhibetur, qui tantum ipſius adminiſtratione quæſtum fecit, ut teſte *Fallopio de Morbo Gallico, Cap.* 76. quadraginta millia ſcutatorum aureorum præter argentum reliquerit. Caſu, num conſilio in hujus remedii inventione adjutus fuerit prædictus Chirurgus, incertum eſt. Probabile tamen videtur, caſu potius, quam ex inſtituto id contigiſſe. Ex Arabum enim monumentis hauſerant antiquiores uſum ungventorum mercurialium ad ſcabiem rebellem & ulcera maligna perſananda. Cum igitur, poſt alia incaſſum tentata remedia, ulceribus venereis talia ungventa adhiberent, forte fortunâ videtur factum eſſe, ut ex diuturniore, aut liberaliore, ejusmodi ungventorum mercurialium uſu, latex ſalivalis ſubitò commoveretur, atque per glandulas oris & faucium, copioſè & impetuoſè propelleretur. Quæ profuſio, cum ab imperitis harum rerum ſpectatoribus, nec facilè ſiſti poſſet, nec violentam cohibitionem niſi ægerrimè ferret: maluerunt in ancipiti ejusmodi negotio, totam rem naturæ committere; imò, capto ex arenâ conſiliô, in id unicè incubuerunt, ut commodo ſaltem regimine diæteti-co, ægris ſuccurrerent. Id quod adeò feliciter ipſis ceſſit, ut, licèt evacuatio hæc ſalivatoria, ad aliquod tempus continuaret, poſtmodum tamen ſenſim ſenſimque decreſcens, tandem ſpontè

ſuâ penitus ceſſaret, cum evidentiſſimo ægrotorum levamine, & plenariâ nonnunquam reſtitutione.

§. XIII.

Tales igitur Caſus, & fortuita ejusmodi experimenta, tandem pepererunt certas artis regulas. Conſilium enim, ſive maturam & ſollicitam deliberationem, plus impediviſſe, quàm promoviſſe hujus remedii inventionem, propemodum perſvadent ea, quæ *Fracaſtorius Lib. II. de Morb. Contagioſ. Cap.* 12. refert: *Tonſor quidam*, inquiens l. c. *amicus noſter, libellum habebat experimentorum quorundam, antiquum ſatis, inter quæ unum inter alia ſcriptum erat, cui Titulus erat*: AD SCABIEM CRASSAM, QUÆ CUM DOLORIBUS JUNCTURARUM ACCIDIT. *Is ergò, cum primùm recentiſſimus eſſet morbus venereus, memor medicaminis, conſuluit Medicos quosdam, num uti eô medicamentô deberet in novâ illâ contagione, quam perſcabiem craſſam ſignificari exiſtimabat. Medici autem inſpectô medicamine acriter prohibuere, quod ex argento vivo conſtaret, & ſulphure. Felix, niſi Medicos illos conſuluiſſet, incredibili quæſtu dives futurus. Paruit autem, nec experiri auſus eſt medicamentum, quod demum expertus, atque optimum agnoſcens, valdè indoluit, quod ſerò eo uſus fuiſſet, quæſtu jam per alios ſibi abrepto.*

§. XIV.

Equidem primitùs ſoli morbo Venereo opponebatur generoſum hoc remedium, atque etiamnum in malô hoc inveterato, & altiùs jam in partibus ſolidis radicato, debellando, potiſſima curationis ſpes à cordatioribus Practicis in illo ipſo collocatur: adeò, ut *Epiphanius Ferdinandus Hiſtor.* 17. aſſerat, inter nonaginta Autores, qui de lue venereâ ſcripſerint, quatuor tantum extitiſſe, qui hydrargyri uſum & per hunc excitatum ptyaliſmum, in hac lue improbaverint; & ſemet ipſum jurejurando affirmare poſſe, ſe 150. lue venereâ affectos ſine ullo pravo ſymptomate per hoc remedium reſtituiſſe; quin notum ſibi eſſe alium Medicum expertiſſimum *Johannem Laurentium*

tium Protopapam, qui plus quam mille homines feliciſſimo ſucceſſu per inunctionem mercurialem curaverit. Imo *Volhardus*, *Diſſertatione de lue vener.* §. 67. aſſeverare non dubitat, in una Pariſienſi urbe plus quam ſex millia ſingulis annis hujus remedii beneficiô reſtitui. Inter recentiores *Sydenhamius*, ſolertia practica, ingeniique perſpicacia nulli ſecundus *Epiſt. Reſponſor. II. p.* 425. diſertè fatetur, nullum adhuc experimentum afferri poſſe morbi venerei inveterati funditus exſtirpati, niſi per Salivationem ab Hydrargyro excitatam, quicquid tam doctorum nonnulli, quam indoctorum, de aliis ſanandi modis ſatis temerè & audacter effutiverint.

§. XV.

Succeſſu verò temporis factum eſt, ut Medici ſolertiores & pro ſalute ægrorum nihil non molientes, cum præſentiſſimum curæ ſalivatoriæ in fœdo hoc, & propemodum omnia alia remedia aſpernante morbo exſtirpando efficaciam cernerent, & quotidianis experimentis deprehenderent, generoſum hoc remedium ad alios morbos contumaces transferre auderent. Quibus in auſis tanto magis confirmati ſunt, cùm alios etiam affectus malo venereo complicatos, per curam ſalivatoriam lui Gallicæ oppoſitam ſimul expugnatos & ſublatos animadverterent: qualem caſum *Rolfinckius Lib. VI. Sect. III. Cap.* 1. *Ord. & Meth. Medicin. Special.* ſibi obtigiſſe narrat, ægri nimirum epileptici lue venérea correpti, per adminiſtratam ſalivationem utroque hoc morbo graviſſimo ſimultanea opera liberati. Confer ea, quæ *River. in Prax. Lib. II. Cap.* 4. *p.* 143. ex *Schenckio* & *Alexandro Trajanô Petronio* narrat, de quodam lue venerea affecto, & cataractam denſiſſimam in altero oculo diu geſtante, qui adhibita inunctione hydrargyri & à morbo Gallico & à ſuffuſione ſalvus evaſit.

§. XVI.

Hinc etiam varii artis ſalutaris Antiſtites, & tam doctrina ſolida, quam medendi peritia Celeberrimi Viri, nulli dubitarunt, curam hanc ſalivatoriam poſteris de meliori notâ commendare, ejusque uſum in morbis contumacibus variis, impri-

mis à ſeri vitiô graviori & pituita viſcida oriundis, præclaris ornare enco niis, v. g. *Sylvius Meth. Med. Lib. II. Cap.* 12. *§.* 2. *&* 16. *p. m.* 111. it. *de Hydrope §.* 171. *p. m.* 787. *Wedelius in Amoenit. Mater. Medic. p.* 465. *&* 470. *Deckerus* in *Exercitat. Pract. Cap. III. p.* 117. *Lentilius* in *Miſcellaneis Medico-Pract. Part. I. p.* 501. *Zypæus* in *Fundamentis Phyſ. anat. p.* 386. Neque *Paracelſum* ipſum penitus abhorruiſſe evacuationem hanc ſalivatoriam propemodum perſvadent illa, quæ deſcriptioni ſui Turbith mineralis ſubjungit, dum poſtquam ejus præparationem & adminiſtrandi methodum edocuerat, gargariſma quoque neceſſarium exiſtimat pro collutione oris, ſi forte huic aliqua incommoda inde obvenirent. Vid. ejus Spital⸗Buch *Tractat. I. Oper. Tom. III. p.* 314. Et licet alias *Celeberrimus Ettmüllerus* Salivationem, in noſtris his regionibus ſeptentrionalibus, ob ſcorbuti frequentioris metum, minus tutam exiſtimet; non poteſt tamen eandem penitùs reprobare, ſed potius illam, ubi modo ſcorbuti metus abeſſet, commode inſtitui poſſe docet, non tantum pro curâ luis venereæ, ſed etiam pro aliis affectibus contumacioribus & chronicis, corpus adhuc robuſtum affligentibus, v. gr. in Hemicrania contumaciori, in affectibus catarrhalibus diuturnioribus aut ſæpiùs recurrentibus, in paralyticis affectibus poſt Apoplexiam evenientibus, aliisque. Vid. *ejusdem Prax. p. m.* 95.

§. XVII.

Speciatim autem, (& quod mirari poſſis, contrariâ aſſertione, niſi quidem amphibolia, ſatis uſitata, attendatur, dum paſſim Lues venerea, Scorbuti nomine larvatur, ſcorbutiſch Geblüte/ ſcharffe ſcorbutiſche Flüſſe und Krätze/) commendatur ad SCORBUTUM inveteratum, à *Williſ. Tract. de Scorb. Cap. ultimo* it. à *Lentil.* in *Miſc. Medico-Pract. Part. I. p.* 272. ad MANIAM & MELANCHOLIAM, à *Rolfinck.* in *Epitom. Cogn. Partic. Affect. Lib. I. Part.* 2. *Cap.* 18. nec non à *Williſio* in *Pathologia Cerebri, Part. II. Cap.* 12. ad EPILEPSIAM, ab eodem *Williſio l. a. Cap. III.* ut & à *Benedict. Sylvat. Centur. I. Conſult.* 47. ad SUFFUSIONEM,

à *Ri-*

à *Riverio* in *Praxi Lib. II. Cap. 4. p.* 147. *ſeqq.* Nec non ab illuſtri *Boyleo Tract. de Utilitate Philoſ. experimental. p.* 346. ad QUARTANAM, à *Williſ. Tract. de Feb. Cap.* 6. ut & à *Ballonio Epidem. Lib. II. p.* 131. ad SCABIEM inveteratam & rebellem, à *Sylvio* in *Meth. Med. Lib. II. Cap.* 12. §. 16. ad ULCERA CACOETHICA, à *Cardiluc.* in *Officin. Sanit. p.* 303. it. à *Morton Phthiſiol. Lib. I. Cap.* 5. ad PLICAM POLONICAM, ab *Hercul. Saxon.* in *Prax. Lib.* 10. *Cap.* 56. it. à *Fonſeca, Tom. I. Conſult. I.* quibus etiam adſtipulatur *Martinus Bernhardi* à *Bernitz*, Regis Poloniæ Archiater, tanquam mali hujus in Polonia endemii αὐτόπτης, qui in *ſcholio ad obſervationem* 52. *anni ſecundi Decad. I. Ephem. Natur. Cur.* expreſsè aſſerit, ſe ſæpiſſimè expertum eſſe, quod Mercurius vulgi (qui alias morbo Gallico opponi ſoleat) etiam in PLICA certiſſimum ſit remedium, illamque per ſalivationem infallibiliter expellat. Vid. *Ephemerid. Nat Cur. l. c. p.* 95.

§. XVIII.

Neque deſunt etiam exempla fauſti ſucceſſus, & effectus exoptatiſſimi ex circumſpecta curæ ſalivatoriæ adminiſtratione, in ægros alioquin conclamatos redundantis. Sic DOLOREM CAPITIS refractarium, levi ſalivatione ſublatum annotavit *Rolfinckius*. VERTIGINEM per conſenſum hypochondriorum interpolatam, nullis remediis cedentem, ſalivatione pariter ſanatam idem docet *Rolfinckius.* in *Ord. & Meth. Medicin. Special. Lib. VI. Sect. III. Cap. I.* AMAVROSIN ſive GUTTAM SERENAM poſt alterantia & alia ocularia remedia incaſſum adhibita, tandem inunctionis & ſalivationis mercurialis ſubſidio ſublatam fuiſſe, expertus teſtatur *Rhodius* in *Analect. ad Septalium.* OPHTHALMIAM deſperatam & remediis quibuslibet repugnantem, hoc denique generoſo remedio edomitam fuiſſe, narrat *Zacutus Luſitanus, Prax. admir. L. I. c.* 58. OPHTHALMIAM inveteratiſſimam Mercurii præcipitati uſu excitataque inde ſalivatione, in viro militari profligatam refert *Joh. Theod. Schenck. Diſſert. de Ophth. p.* 57. PODAGRICUM, ope inunctionis & ſaliva-

livationis mercurialis à doloribus arthriticis per integrum triennium liberatum fuiſſe, & licet poſtmodum malum illud recurreret, mitiorem tamen longe quam antea ſenſiſſe ipſius ſævitiam, ſcribit *Celeberrimus Wedelius, de Medicament. Facult. Part. II. Sect. 2. C. 12. pag. 219.* SCABIEM pertinaciſſimam, quæ nec purgantibus mercurialibus, nec decoctis lignorum, nec ungventis externis, funditùs extirpari, ſed ſaltem quodammodo mitigari & ad tempus palliari potuit, tandem Salivationis mercurialis ope ex votô ſublatam memorat *Lentil.* in *Miſc. Med. Pract. Part. I. p.* 157. Virum Illuſtrem TABE SCORBUTICA, ex nimio exſiccantium uſu emaciatiſſimum, ulcereque faucium perquàm moleſto obſeſſum per Ptyaliſmum mercurialem feliciter à ſe reſtitutum, narrat idem *Lentilius* in *Appendice ad annum* 10. *Dec. II. Ephem. Nat. Cur. p.* 54. & paulo prolixius in *Miſcell. Med. Pract. P. I. p.* 560-584. Præfectum Dillingenſem ab inveterata per multos annos internecina CEPHALALGIA, FATUITATE, CADUCO, CÆCITATE, Salivationis beneficio, multis ſtupentibus, liberatum, teſtatur idem *Lentil. l. a. pag.* 602-608. Tam lætum igitur Salivationis mercurialis ſucceſſum dum in mentem ſibi revocat *Laudatus Autor*, vix ſibi temperare poteſt, quin in *Epiſt.* ad *Dn. D. Andream Roſam* Archiatrum Würtenbergicum ſcripta, in hæc tandem erumpat verba: *Optandum ſanè foret, ne tantoperè formidarent Medici Salivationem mercurialem, ſive ex inſtituto adminiſtratam, ſive præter intentionem, à Medicamentis mercurialibus, alio fine datis, ſponte coorientem.*

§. XIX.

Non operoſum foret plura ejusmodi exoptati effectus ſpecimina adducere, niſi verendum eſſet, ne L. B. nimiâ prolixitate tædium forte creemus. Licebit tamen paucula adhuc annectere, affectuum nimirum, aliis remediis conſtanter reluctantium, ſalivatione verò feliciter percuratorum exempla, & quidem talia, ubi luis venereæ complicatæ ſuſpicio, quæ forte in nonnullis ſupra allegatis caſibus ſupponi poſſet, plane abfuit.

fuit. Ita v. gr. Celeberrimus *Borrichius* in *Act. Haffnienſ. Volum. I. Obſ.* 74. hiſtoriam narrat CORPULENTIÆ NIMIÆ, pluribus vicibus per ſalivationem ex votô ſublatæ, quam, cum mirâ ſtyli venuſtate, laudatus Autor *l. a.* deſcripſerit, integram huc transferre liceat. *Tribunus Militaris, jam ſexagenario major, ſed vivax & vegetus, ita fere quinto quoque annô abdomine tardus evadit, & pingvedine nimiâ diſtentus, ut aliis gravis ſibi inviſus ſit. Cui malo cum varia quæſierit remedia, inediam, acida, exercitia, fruſtrante expectationem ingrato eventu; noviſſimè in Mercurio dulci opem ſollicitavit & invenit. Progreditur enim pilulis mercurialibus ad eam paulatim doſin, ut apertis gingivarum laxitatibus ptyeliſmus conſequatur, nec is perfunctorius, ſed qualem in aduſtis veneris nepotulis efflagitant Medentes, ut fœdam luem exſpuant. Per has vias omaſum ſeſe exonerat, & lætum alacremque tribunum ad munia ſveta reddidit expeditiorem. Ex eo triennium integrum exigit, ab infeſto aqualiculi pondere liberum. Tandem redit ſenſim malum, & quinto pòſt anno novam curam depoſcit. Igitur ille iterum ſupplicat Mercurio, iterum in palæſtram redit promptior. Jamque ter quaterve iterato eôdem æquore, vivido faciei colore, toris robuſtis, corpore alacri, ad negotia ſua conſurrexit.*

§. XX.

Aliud exemplum non minus memorabile recenſet *D. Johannes Acoluthus* Phyſicus Vratislavienſis in *Ephemerid. Nat. Cur. Dec. I. An. 9. Obſ.* 165. Scilicet virgo honeſta annorum 22. ſucciplena ſatisque pro conditione ſexus lacertoſa, ante novennium circiter cum febre quotidiana, vulgo eſurina (germanis das Freß-Fieber) dicta graviter colluctata, atque ab eadem liberata quidem, non tamen plenarie reſtituta, incurrit tumores pedum œdematoſos, dolores artuum rheumaticos, quin tandem omnimodam horum paralyſin. Tot malis igitur obruta, cum Martialia, Cinnabarina, Veſicatoria, Opiata, etiam largius data, ſudationes in laconico, litus Spirituoſi & nervini exterius adhibiti vix levem aliquam dolorum mitiga-

tionem afferrent; tandem in Salivatione mercuriali, licet ægre admodum & parco proventu ſuccedente conſtans levamen invenit. Quin hic evacuandi modus naturæ intentioni adeo congruere viſus fuit, ut illa ab eô tempore iſtum ſibi quaſi proprium reddiderit, vitioſâ pro ſexus genio diætâ novis inquinamentis maſſæ humorum illatis, ſpontaneam quotannis inſtante Majo excitans ſalivationem, eo usque cum euphoria Subjecti procedentem, ut gingivarum, lingvæ atque palati inductæ exinde fiſſuræ Gargariſmis indigeant, donec periodô ſua abſolutâ liberum morboſa ſarcina corpus rurſus derelinquat. Alia virgo, referente *Domino Doctore Helwichio* in *iisdem Ephemerid. Nat. Cur. Dec. III. An. 7. & 8. Obſ. 7.* floridæ ætatis ac tenerrimæ conſtitutionis, ex perilluſtri proſapia prognata, dolore & lancinatione à cubiti flexura usque ad carpum in utraque manu, & ab iſchii ſive coxendicis articulo ad laterales illas prominentias, levique tumore in ſummitate femoris correpta, hocque malo per quadriennium fatigata, variisque variorum Medicorum conſiliis & tentaminibus exercita, tandem in Salivatione mercuriali certam ſanationis ſpem reponens, enixe à *Dn. Helwichio* efflagitat, ut curæ huic præeſſet. Hic verò qui fruſtraneum hujus remedii uſum in viro arthritico & ſcorbuticó paulo ante conſpexerat, ſeriò diſſvadet virgini prædictæ cœptum hoc, quantæ moleſtiæ, quantique dolores ex oris ulceratione, individua curæ hujus comite, ipſi ferendi forent, ediſſerens, & graphicè depingens. Illa autem magis inſtat, & extorquet tandem Medici conſenſum. Succedit cura ſuſcepta præter expectationem Medici ita feliciter, ut malum iſtud ſatis citò Salivationi victas manus dederit, & ægra ab omnibus doloribus libera rectiſſime jam valeat.

§. XXI.

Poſſem *ipſe* quoque, ſi opus foret, ad propriam provocare avtopſiam, conſpectis quam plurimis fauſtis ſucceſſibus curæ Salivatoriæ in ejusmodi caſibus inſtitutæ, atque ſub moderamine *Excellentiſſimi Dn. D. Ettmülleri, Patroni & Præceptoris mei ætatem devenerandi*, in Noſodochio Lipſienſi ſub

urba-

urbano adminiſtratæ. Virgo paupercula, vitam hactenus ancillando ſuſtentans, ex pertinaci Menſium obſtructione incurrit tumorem pedis ingentem, prædurum & valde dolorificum, ita ut munia domeſtica, quæ imperium herile exigebat, amplius obire nequiret. Delata proinde in noſodochium, curæ & Medici & Chirurgi ordinarii committebatur, quorum uterque nullum non pro ipſius reſtitutione movebat lapidem, ille quidem fluxus menſtrui revocationem martialibus, aperientibus tam ſalinis quam vegetabilibus acriuſculis & amaris, nec non laxantibus, hic vero tumoris diſcuſſionem variis emplaſtris ac ſpiritibus reſolventibus, item fomentis & balneis calidis moliens, & per integrum trimeſtre huic operæ ſtrenue inſudans, eventu tamen ſaluberrima conſilia atque optima remedia deſtituente. Quare unanimi tandem conſenſu curam ſalivatoriam in ſubſidium revocandam eſſe ſtatuebant. Quâ adminiſtratâ, tumor iſte, hactenùs adeò refractarius, ſtatim cœpit emolliri ac ſubſidere, quin tandem plane evanuit; obſtructus etiam catameniorum fluxus, qui tot efficaciſſima præſidia anteà eluſerat, jam paucis, iisque leviſſimis, remediis, in ordinem fuit redactus; ut non ſolum ſana atque incolumis fuerit dimiſſa, ſed etiam nunc optimè valens, honeſto famulitio commodè defungi queat.

§. XXII.

Aliam fœminam, è Turcarum gente oriundam, quæ tamen fidem Chriſtianam, aut ad minimum externam ejus profeſſionem, amplexata fuerat, morbo epileptico miſerrimè afflictam, fluore inſuper albo, & fluxus menſtrui legitimi, ſuppresſione, laborantem, hincque in idem Noſocomium receptam, diu etiam fatigaſſe Medentium operas memini. Cum verò omnia alia remedia vix tantillum proficere viderentur, & præterea aliqua, licet non adeò evidentia, contagii *Venerei* indicia, aut veriùs ſuſpiciones, concurrerent: itum eſt ad Salivationem, eo cum ſucceſſu, ut omnibus his malis eadem ex votô fuerit liberata. Similem, h. e. ſi non planè eundem, non tamen prorſus infelicem, effectum curæ ſalivatoriæ, vidi in mu-

liere, pluribus ulceribus cacoëthicis in tibia, metatarſo, & circà taleolos, obſeſſa, fluore præterea albo, & menſium obſtructione, prehensâ; quæ, poſt varia alia remedia, tam interna, quàm externa, incaſſum adhibita, beneficiô ptyaliſmi Mercurialis ita fuit reſtituta, ut ulcera conſolidarentur, fluor albus reſiccaretur, ſolis adhuc catameniis moras nectentibus.

§. XXIII.

Neque eorum, qui tum interfuerunt aut ſaltem adfuerunt, memoria excidit effectus planè memorabilis curæ ſalivatoriæ, in juvencula paupere, per Guttam ſerenam utriusque oculi lumine orbata; Magnifici hodiè Academ. Lipſ. Rect. Dn. D. *Rivini*, Patroni ac Præceptoris mei ad cineres usque colendi, juſſu, imò ſumptu, in eôdem Noſocomio ante paucos annos inſtitutæ, & tanto quidem cum fructu, ut quam in prædictum noſodochium deferri & manuduci oportuerat, jam ſanam ac hilarem abire, omnes mirarentur.

§. XXIV.

Objectiones vero illæ, quibus contrariæ ſententiæ fautores, curam modo laudatam Salivatoriam, infamem aut ad minimum ſuſpectam reddere conantur, vix tantum ponderis habere videntur, ut remedii hujus generoſi uſum, vel plane ex artis ſalutaris finibus proſcribendum, aut ad ſolam Luem Veneream reſtringendum, abſolute & ſimpliciter, eſſe, ſolidis argumentis evincant. Nam quod, primò, exempla attinet ſiniſtri aut irriti ſucceſſus, qualia nec ipſi illius Patroni diffitentur, v. gr. *Williſius Pharm. Rat. P. II. Sect. 3. C. 8. Hildan. Centur. 3. Obſ. 92. Wedel.* in *Ephem. Nat. Cur. Dec. 2. An. 4. Obſ.* 120. *Helwichius*, in iisdem *Ephemeridibus Dec. 3. An. 7. & 8. Obſ. 7. Borrich. in Act. Haffn. Vol. 5. Obſ.* 52. his non ſolùm complura, fortunati effectus ſpecimina, opponi poſſent, quorum aliqua in ſuperioribus Theſibus allegavimus; ſed &, ſi exactiùs trutinantur circumſtantiæ ſingulæ, plerumque culpa in temerariâ applicatione, aut incautâ adminiſtratione, & erroribus diæteticis intercurrentibus, hærere deprehenditur. Quinimò, ſi rectè ponimus calculum, non pauciora proſtant exem-

pla

pla infelicis eventus curæ hujus, in lue Venereâ (cui alias propriè deberi contendunt) adhibitæ, ſed pariter minùs dextrè adminiſtratæ. Nullo tamen modô Practici cordatiores, his induci potuerunt, ut verſo in ipſum remedium odio, illud tanquam infidum aut periculoſum, oſtraciſmo notarent. Id potius inculcârunt ſedulo, ut optimum hoc remedium, perinde ac equus generoſus, ritè gubernetur, adeoque non temerè, niſi ubi reverà neceſſarium, adhibeatur: congruo regimine ſublevetur & ſatis diu continuetur, quod ultimum imprimis urget *Borrichius*, candidè monens in *Act. Haffn. Vol.* 5. *Obſ.* 52. *p.* 143. in Regionibus Septentrionalibus non ſufficere ptyaliſmum, ad tres hebdomadas, etiam cum ſubjunctô Decoctorum Lignorum uſu inſtitutum; ſed, ſi malum inveteratum ſit, requiri ptyaliſmum jam ad ſex, jam ad octo integras hebdomadas, imo in quibusdam vel ad decem, ante decoctorum uſum, quod niſi obſervetur, indubitabilem antè ſex menſium lapſum inſtare recidivam.

§. XXV.

Non multo plus roboris habet illud argumentum, quo Dn. *Jacobus Joh. Wenc. Dobrzensky de Nigroponte, Prof. Extr. Pragens.* uſum ſalivationis, in aliis præter Luem Veneream affectibus, diſſvadet; territus imprimis ſiniſtro, quin funeſto effectu curæ ſalivatoriæ, ab agyrtâ quôdam viro Illuſtri hypochondriaco, perperam adhibitæ, ſed pejus adhuc adminiſtratæ, quem ipſemet ſpectaverat, & graphicè delineat in *Ephem. Nat. Cur. Dec. I. An.* 1. *Obſ.* 80. ſcilicet facilius admitti, & ſine damno tolerari poſſe, uſum Mercurii, in Lue Venerâ, ubi virulentia ipſius contrarium venenum offenderet, in quod ageret: quale quid, cum in aliis affectibus non adſit, illum in humores laudabiles, & partes ſanas, ſuam exercere tyrannidem, easque corrumpere & depaſcere aſſerit. Verum enim verò, ruinoſo admodum fundamento ſuperſtructa eſt hæc aſſertio. Siquidem præſuppoſita iſta Mercurii virulentia, qua corpori animali *tota ſua ſubſtantia*, inimicus eſſe ab antiquioribus fuit creditus, variis exemplis & experimentis contrariis infringi pot-

eſt. Sic refert, *Jordanus Lib.* 3. *de Peſtis Phænomenis*, atque ex eô *Laurentius Hoffmannus, de uſu & abuſu Medicamentorum chymicorum pag.* 61. quod Illuſtriſſimus Heros Georgius Marchio Brandenburgicus, Onoldi, aliquando noctu ſurgens, valdeque ſitibundus, integram lagenam Argento vivo repletam, per errorem arreptam exhauſerit, & Mercurium epotum innoxiè iterum per alvum excreverit. Magis adhuc admiratione & conſideratione dignus eſt caſus, quem *Hoechſteterus* in *Obſervationibus* ſuis, recenſet de Muſico, cui Nobiles aliqui per jocum largam Mercurii currentis quantitatem epotandam clanculum præbuerant, rati, illum mox alvi clauſtra pondere ſuô reſeraturum, ſibique exitum, convivis vero riſum paraturum eſſe. Sed aliter cecidit alea: Mercurius ingeſtus, ob oſtreas paulo antea copioſius comeſtas, his viſciditatibus implicatus, longiores trahit in Ventriculo moras, atque à Muſico prædicto, omnium rerum harum ignaro, per integram noctem retinetur, non ſine ſummâ conſternatione hujus Scenæ autorum, & formidine ſiniſtri eventus; nihilominus tamen ſine ullâ noxâ à Muſico manè ſurgente cum *urinâ* in matulam egeritur.

§. XXVI.

Diluunt inſuper hanc de virulentiâ Mercurii ſuſpicionem, planisſimè, ſalutares illi effectus, quem Mercurius etiam crudus in medendo exerere deprehenditur: ita ut *Becherus*, in *Pſychoſoph.* ſuâ p. 227. aſſerere non dubitet, Mercurium vivum, perinde ac Antimonium crudum, præſtantiore virtute Medicamentoſa pollere, quam omnia illorum præparata. Infuſum ſive decoctum Mercurii currentis in aqua & cereviſia, ab ipſo *Helmontio* & Illuſtri *Boylæo*, laudari, & pasſim cum fructu exhiberi, notum eſt. Imò quid vulgatiùs, quam Mercurium currentem in corio ligatum, ſpeciebus pro Decoctis Lignorum parandis addi, & ſimul coctioni exponi, idque ſi non cum evidenti virium augmento, attamen ſine noxâ, fieri. Vid. Decoct. Antivener. *Heinſii*, in altera editione der Schmachtend. *Ven. p.* 124. deſcriptum. *Zapatam* quoque

que in *Mirabilibus Medico-Chymicis Cap.* 5. Mercurium crudum, cum Saccharo in bolum redactum, tanquam expertiſſimum laudat anthelminticum. Confer *Sennert. de Chymicorum & Galenicorum Con- & Diſſenſu Cap.* 19. It. *Fallop. de Metallis Cap.* 37. *Matthiolum in Dioſcoridem Lib.* 1. *Cap.* 76.

§. XXVII.

Equidem inſtant nonnulli, ſi vel maximè *virulentia* Mercurii non metuenda foret, *ſpecificum* tamen in Lue venerea extirpanda eſſe Mercurium, adeoque aliis morbis ſi adhibeatur, vel *nullum*, vel *heteroclitum*, edere effectum. Hoc tamen dubium optimè jam ſolvit *Sennertus* in *Praxi Lib.* 6. *part.* 4. *Cap.* 21. *p.* 195. ſolidè demonſtrans, neque Mercurium, neque ligna communiter *antivenerea* dicta, *ſpecifica* hic virtute agere, ſed merè (aut certè plurimùm) *evacuatoriâ*, ſive *Salivatoria*, ſive *ſudorifica*. Cum igitur ligna prædicta *antivenerea*, hactenus omnium conſenſu, in variis aliis præter luem veneream affectibus commendata, imò cum evidentiſſimo emolumento uſurpata fuerint: quid obſtat, quo minus etiam Mercurii, & per hunc excitati Ptyaliſmi, uſus, ad alios, licet contagii Venerei immunes, morbos transferre liceat?

§. XXVIII.

Paulo majorem conſiderationem meretur aſſertum Celeberrimi *Ettmulleri*, qui Salivationem in noſtris adminimum regionibus raro admodum locum habere autumat, ob frequentem *Scorbuti* metum, cujus hoſtem infenſiſſimum Mercurium pronunciat, idque probat potiſſimum ab ipſo ejus effectu *Salivatorio*, quo humores peccantes ex toto corpore ad fauces glandulasque vicinas convehit, & per emunctoria hæc exturbat. Cum igitur in *ſcorbuto* Gingivarum laxitas, cruentatio, eroſio earundem, vacillatio & caries dentium, fœtor oris, jam jam præſtò eſſe ſoleant: periculoſum omninò cenſet, partibus tantoperè jam afflictis, majorem addere afflictionem. Vid. *ejusdem Commentar. in Schrœder. ex Morell. p.* 364. Et ſane hoc monitum non planè inſuper habendum eſt, ita ut in ipſâ Lue Venerâ, cum ulceribus palati & faucium gravioribus, (huic

aliàs

aliàs mòrbo ſatis familiaribus) conjuncta, curam ſalivatoriam vix ſvadere audeat *Deckerus* in *Exercit. Pract. Cap. 3. p.* 117. Quamvis autem non deſint ſpecimina Salivationis, etiam ad *ulcera* faucium perſananda feliciter adhibitæ, quale exemplum ſupra §. 12. *ex Lentilio* adduximus; & *Caldera* in *Illuſtrationibus ad Tribunal. p.* 100. expreſſe ſcribat; mirum eſſe, quod gutturis ulcera gallica adeò prompte inunctione Hydrargyri ſanentur: interim tamen certum eſt, prædictam faucium & partium vicinarum læſionem, valde circumſpectam & non nimis præcipitem, Salivationis adminiſtrationem ſibi depoſcere. Sed demus, planè contra indicari & prohiberi ſalivationem, per horum Symptomatum præſentiam. In eô tamen ſententiæ laudatæ vix poſſumus adjicere calculum, quod adeò inſignem Scorbuti, his præcipuè ſymptomatibus ſtipati, frequentiam præſupponat. Equidem me non latet, nihil frequentius hodie quam dyſcraſiam ſcorbuticam in morbis plurimis accuſari. Verum enim verò non invitâ veritate dixerim, magis familiare hodie eſſe ſcorbuti nomen, quam ejusdem certa & evidentia ſymptomata, & ſigna pathognomonica comparere. Siquidem fatigationem & laſſitudinem ſpontaneam, dolores artuum tenſivos, vel lancinantes etiam, ſenſum compunctionis levis aut pruritus in habitu corporis, ſubjectis de cætero ſanis & ſucciplenis evenientes, ſine ullo macularum ſcorbuticarum veſtigio aut cruentatione gingivarum, protinùs ſuſpicione ſcorbuti onerare, certè Pathologicam morborum diſtinctionem inſigniter confunderet.

§. XXIX.

Quæ vero de Salibus Scorbuticis, eorumque cum Mercurio coalitu, & hinc metuenda potentiſſimi corroſivi geneſi, ſuſpicantur Neoterici, potius ex inanibus ſpeculationibus, & nimis arguti ingenii commentis, quam circumſpecta praxi, ſive clinica ſive chymica, profluxiſſe videntur. Quem enim fugit, niſi planè in chymiâ hoſpitem, Mercurium non ita promte quibuslibet obedire acidis. Etenim Spiritus Salis, niſi planè concentratiſſimus, Mercurium non diſſolvit. Ipſum olei

Vitri-

Vitrioli, niſi gradu caloris ſatis eximio, & propemodum fervido, adjuvetur, Mercurium non aggreditur. Et quisquis Mercurium ſublimatum Reguli Antimonii pulveriſati ſubſidio, in priſtinum fluorem redigere tentaverit, is Mercurium in Butyro Antimonii prius exſtillante liberè fluctuantem, atque à ſpiculis ſummi hujus Corroſivi intactum, obſervabit. Jam verò humores in corpore humano, etiam maximè vitiatos, ad tantam acrimoniam evehi poſſe, quæ causticam olei Vitrioli aut Butyri Antimonii indolem æquaret, nemo facile dixerit. Neque etiam violentus ille affectus, quem Mercurius & Medicamenta Mercurialia interdum edunt, unicè à conſortio Salium peregrinorum arceſſendus eſt. Siquidem Mercurius ſolo ignis adminiculo, absque omnium Salium acceſſu, per diuturnam digeſtionem, in pulverem rubicundum converſus, æque nauſeoſum Metallicum ſaporem exhibet, æquè violentam Catharſin & Salivationem moleſtam movet, ac vulgaris Mercurius, præcipitatus per aquas ſtygias, more conſveto, paratus. Ubi fruſtrà quis exiſtimet, particulas acidas, quas nonnulli in ipſo igne ſupponunt, per poros vitri penetrantes, & Mercurio adhæreſcentes, hujus Tragœdiæ autores exiſtere: obſtat enim momentaneus fere hujus Mercurii præcipitati Metaſchematiſmus, dum pulvis iſte rubicundiſſimus retortulæ vitreæ immiſſus, crucibuloque arenâ repleto impoſitus, ſine acceſſu vel leviſſimi antacidi, ſolâ ignis torturâ, priſtinam faciem currentem promptè recuperat, nil niſi tantillum pulveris leviſſimi, albicantis, relinquens.

§. XXX.

Qui denique ob ſymptomatum moleſtiſſimorum & ſæpè ſatis periculoſorum, Syndromen curam Salivatoriam reformidant, eatenus omninò merentur aſſenſum, quod utique non temere, in quolibet leviori malo, lenioribus remediis forte adhuc ceſſuro, ſtatim ad generoſum hoc, & tantum non ultimum præſidium, convolandum, adeoque remedium ipſo morbo gravius adhibendum, ſit. Interim, ubi durum illud telum, neceſſitas, aliud ſvadet, imo exigit, metuenda ex Sali-

vatione pericula, nedum moleſtiæ, vix tanti æſtimanda ſunt, ut propterea ſalutare hoc ſubſidium omitti debeat. Quippe omnia pathemata, verè *directè* à Salivatione pendentia, ita comparata ſunt, ut plus terreant, quàm revera noceant, quin magnâ ex parte, per congruum, & abſolutè neceſſarium pro ſecuriore ejus uſu, in quocunque tandem affectu, regimen, mitigari, ſi non planè præcaveri poſſint. Nimirum, ut ante Salivationem, primarum viarum cruditates, cathartico, convenienti, aut etiam repetitò, expurgentur; ſangvinis abundantia inſignior, in ſubjectis valde plethoricis, per Venæ Sectionem ventiletur; ipſa verò Salivatio, potiùs interno Mercurii dulcis uſu, quàm externis inunctionibus, aut ancipitibus ſuffitibus, procuretur, hujusque exhibitio, non ſimultaneis præbiis ad Scrupulos integros, vel Drachmas dimidias, ſed partitis fiat vicibus, doſibusque per V. ad X. grana, per aliquot dies ſucceſsivè augendis; ſi durante Salivatione, fauces congruis Gargariſmatibus & frequentibus injectionibus, abſtergantur & demulceantur; labia, à coalitu cum gingivis, per interpoſita filamenta carpta aut lintea molliora præmuniantur; ipſe verò æger per totum hujus curationis decurſum, in calore, *temperato & tolerabiliter diapnoico*, non verò *anxiè* calido, minimè omnium autem frigido liberiore aëre, ſervetur, à potu frigido, vinoſo, ac ſpirituoſo, ſevere arceatur: finitâ ſalivatione Catharſin moderate repetat, & decoctorum Lignorum, aut aliorum diaphoretico-diureticorum, uſui, cum aëris diapnoico tepore, aliquamdiu inſiſtat: certe non erit quod de periculô hujus curæ ſonticô aut moleſtiis nimiis ac vere intolerabilibus jure quis poſſit conqueri. Cavendo ſolùm, ante omnia, à nimis præcipiti commotione eruptionis Salivatoriæ.

§. XXXI.

Ut igitur rem in pauca conferamus, non ſanè nos hic patrocinamur illorum levitati, ne dicam temeritati, qui vix dum audito morbi contumacioris nomine, protinus ad curam ſalivatoriam tanquam ad ſacram anchoram confugiunt. Id potius ſolùm intendimus, ut infamiam huic remedio, quod ſoli malo venereo appropriatum plerique credunt, affrictam, abſtergeremus, atque ex autorum probatisſimorum monumentis, quin ipſius experientiæ teſtimonio demonſtratum iremus, uſum ipſius, in aliis præter Luem Veneream affectibus, neque inſolitum neque periculoſum, neque inefficacem deprehendi, adeoque ſalvâ conſcientia, illæſâ & medentis & ægrotantis famâ, in caſu neceſſitatis providâ adminiſtratione, tentari poſſe.

):(o):(

O Rem præclaram medicen dediciſſe Stagyri
Artibus & cultum pectus habere bonis.
Namque ea veraci contendit gloria laude,
Atque etiam cunctis usque ſuperſtes erit.
His tibi perſvaſis viſitabis templa Minervæ
Et ſpecimen medices cum pietate dabis:
Hinc precor ex animo & toto de pectore grator,
Ut fauſtè ſubeant quæ facienda paras.

Pauca hæc cum voto omnigenæ felicitatis adjecit
D. CHRIST. LUDOVICUS WELSCHIUS.

QUot, Morbona ferox, non carcinomata prava
Nobis infirmis, quot mala ferre ſoles?
Quæque fugare nequit Medicorum docta caterva,
Usque adeo temet triſtia jura manent.
Ni ſedare tuos poſſet, Morbona, tumultus
Argentum currens, omnia quod penetrat.
Hæc jam pro Cathedra perpendens, ſvavis Amice,
Spes eſt ut poſſis tollere quæque mala.
Grator, conatus Clementia ſumma ſecundet,
Unica quæ potis eſt ferre ſalutis opem.

Hiſce de ſummis Honoribus Prænobiliſſimo Domino Candidato, Auditori quondam ſuo perquam induſtrio gratulatur
MICHAEL Ernſt Ettmüller/
Philoſ. & Medic. D. Anat. & Chir. In Academia Lipſienſi P. P. Extraord. Noſocomii & Pauperum Medicus ordinarius, & Acad. Naturæ Curioſorum Collega.

Ter-

TErrigenis Numen vendit ſua dona labore.
Hæc paradoxa fuit ſententia priſca Sophorum:
Munera nam vendi mutuò pugnare videtur.
Sed pede ſtat firmo: nihil absque labore valere
Spes fatuas; fructu optato conamina quævis
Deſtitui, cœptis faveat niſi gratia cœli.
Hinc comes indivulſa Tui ſtudii ſtadiique
Spes confiſa Deo, ſolerti juncta labori,
Semper erat. Capis & jam præmia pulchra laborum.
Gratulor ex animo; Tua qui certamina quondam
Vidi, nunc itidem lætus Tua ſpecto brabæa.
Multum equidem ſupereſt operis multumque laboris:
Præmia ſed pariter majora & plura ſequentur.

Hiſce Nobiliſſimo Dn. Candidato. Conterraneo ſuo Honoratiſſimo, atque Auditori quondam ſolertiſſimo novos honores gratulatur

G. ROTHIUS, D.